



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Mayr, Anton

MDCCXXXII

Art. VIII. Solvuntur aliæ objectiones ex SS Patribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84303)

mittimus, ut patet; nam dicimus, Sacram Scripturam non spiritu privato explanandam: dicimus, inquirendam esse veritatem, diligentia morali, pro qualitate negotii: at, si veritas deprehendi nequeat, non dicitur in his textibus, quid tum faciendum sit, nisi, quod in rem nostram Lactantius c. 27. dicat, stultum esse, velle praeceptis parere, quæ utrum vera sint, an falsa, dubitatur. Adde, quod cit. c. 13. tantum loquatur de autoritate Philosophorum gentilium, quod non facit ad rem.

324. Dices. S. Chrysostomus in opere imperfecto bomila 44. in Matth. ante medium sic scribit: Si enim vestimenta empiurus gyras unum negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio villiori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circumire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi venundatur, & ubi corrupta: & omnium confessiones cognoscere, & veriore eligere, plusquam vestimentum? Idem bomil. 13. in c. 6. ep. 2. ad Cor. in morali sub finem, juxta versionem, quam ego solam habui (P. Thyrsus aliam habuerit, accidentaliter diversam) sic ait: Pulgi opiniones ne circumferamus, sed res ipsas expendamus. An non enim absurdum, ac preposterum fuerit, nos, cum de pecuniis agitur, aliis fidem non habere, sed numero, & calculo id committere: cum autem de rebus judicandum, in aliorum opiniones temere, ac velut obtorto collo trahi, idque, cum exactam rerum omnium lancem, ac normam, & amissim habeamus, nempe Divinarum legum sententiam?

Resp. Auctor operis imperfecti illius, vel non est S. Chrysostomus, sed hæreticus: vel certe liber ille ab hæretico est corruptus; quia bomil. 4. habet propositiones Arianas. vide Belarminum de scriptoribus Eccles. in S. Chrysostomo. Verum, hoc omisso, textus tantum probat, deberi morali diligentia inquire veritatem, quod etiam dicimus. Sed neque omnino literaliter accipienda sunt ea verba; alias quivis rusticus deberet circuire omnes Doctores orbis, quod nemo prudens dixerit. Sicut etiam nemo, empturus vestem, circuit omnes mercatores, sed tot, ut moralem adhibuisse diligentiam possit censeri. Accedit, quod textus loquatur de inquirenda veritate fidei: qua in re non est utique statim credendum cuique ministrallo. Secundus textus etiam plus non probat, quam debere veritatem moraliter inquire, nec posse statim cuique credi, præsertim in materia fidei. Imo, cum S. Pater ibi loquatur de elemosyna, videtur tantum reprehendere minorem fidem divitum, qui promissionibus firmissimis DEI non satis fidunt, nec satis liberaliter erogant.

325. Solet etiam objici S. Gregorius Nazianzenus, qui orat. 27. ita scribit: Atqui plerisque secus videtur, inquit: quid vero meâ interest, qui rei veritatem magis curo, imò solùm curo? hoc enim vel me condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum vel beatum reddiderit: ex quo volunt adversarii inferre, non sententiam probabilem, sed veritatem excusare, ac esse sequendam. Sed textus non venit ad rem. Loquitur ibi S. Nazianzenus de suis obrectatoribus, à quibus dicebatur, ambuisse infulas Constantinopolitanas, atque, se eorum judicia non curare, dummodo se conscientia propria non incuset.

Afferuntur etiam S. Bonaventura, qui citatur tom. 2. opusc. de processu religionis proc. 5. c. 3. itémque S. Bernardinus Senensis serm. 17. in Dom. 2. quadragesima, quorum verba vide apud P. Thyrsium de usu opinion. probab. disert. 13. c. 2. §. 4. & §. 5. quæ tamen, prout citantur, invenire non potui: afferuntur, inquam, isti SS. Doctores, tanquam nostræ conclusioni contrarii. Sed respondetur, vel ex iis nimium, vel nihil probati, nam SS. Bonaventura, & Bernardinus, si sitius accipiantur, videntur docere, ignorantiam juris, vel legis Divinæ, non excusare; utitur, ne aliquid contrarium definitioni Alexandri VIII. inde inferatur, explicandi sunt de ignorantia vincibili: & tunc nobis non opponuntur.

S. Antoninus, qui etiam ut nobis contraria citatur i. p. tit. 3. c. 10. §. 10. magis videtur nos favere; ait enim, quod cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, secundum eam operari, excluso saltem scandalio, quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam Sacre Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ. Addit, quod operari non debeat dubitare, scilicet practice, sed ut formare bonam conscientiam de eo, quod credit, tanquam de probabiliori parte, scilicet practice, quatenus dictamine reflexo judicat, probabilis, vel moraliter certum esse, quod actio aliqua sibi liceat: id quod fieri posse judicat præcipue, quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit, quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum. Eodem loco citat Hostensium, qui in extrav. de cognat. §. 1. Cap. Si vir. ait: Ubi sunt diverse opiniones, & diversa judicia, semper humanior est preferenda, & æquior. Quod dictum Sanctus hic nullo modo refellit, sed omnino approbare videtur: imò idem hic Sanctus. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. amplectens opinionem mitiorem circa recitationem Brevarii, ait, hanc sententiam tenendam: Quia benignior est, & quia non debet Ecclesiæ alicuiusque injicere. Sed de S. Antonino iterum inferius.

ARTICULUS VIII.

Solvuntur aliæ objectiones ex SS. Patribus.

326. O B. 2. S. Augustinus libr. 1. de baptismo, contra Donatistas. c. 3. ait: Quanquam, etiam si dubium haberet, non illic recte accipi, quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta præponeret: ergo ex S. Augustino peccatur, quando in salutis negotio incerta certis præponuntur. Resp. dist. conf. peccatur præponendo certis incerta, in quibusdam negotiis, maxime, in quibus non habetur vera probabilitas de opposito. con. conf. universaliter, & in omnibus. neg. conf. S. Augustinus ibi agit de eo, qui aliquo modo adhuc infirmus in fide, robustius credit, quod utraque pars, Catholici scilicet, & Donatistæ, simul dicunt: interim tamen etiam, quod Catholici soli dicunt contra Donatistas, verum, & certum ha-

habet, atque adeo certus est, quoddam salutem necessarium sibi sit, in Catholica Ecclesia vivere: tamen, nescio, quibus de causis, vellet à Donatistis baptizari; cum tamen Catholici negent, extra casum necessitatis (de quo S. Doctor agit cap. *precedenti*) posse à Donatistis, tanquam hæreticis, baptismum suscipi, quamvis oppositum Donatistæ affirmant: & ait, talem graviter peccatum, si incerta certis præponat.

In hoc casu id nos quoque admittimus; quia, ut patet consideranti, talis nullam veram probabilitatem habet de licentia recipiendi baptismum ab hæretico, certumque ipsi est, non tantum tutius posse, sed etiam debere, baptismum apud Catholicos recipi. Nostra autem sententia non loquitur de casu, quo obligatio est certa, sed quo tantum certa est major securitas sententiæ, quæ sunt longè diversa; nam licet aliquando præponi incertam directam probabilitatem de licentia, alteri certitudini tantum de securitate majori sententiæ oppositæ, negari non potest; alias enim neque liceret operari juxta sententiam probabilissimam, contra magis tutam, adeoque certius securam: quod ab Alexandro VIII. in propositione 3. est damnatum.

327. Ob. 3. SS. Patres nullibi docent nostram sententiam: ergo non est ipsis conformis. Confirm. 1. SS. Patres docent, animarum regimen esse plenum periculis: sed non ita esset, si liceret uti nostrâ sententiâ: ergo. Confirm. 2. Sancti viri metuebant, etsi probabilius judicarent, aliquid esse honestum: ergo multo minus suadebant tantum æqualiter probabilia, & minus tuta. Resp. retorquendo argumentum. SS. Patres neque docent sententiam rigidiorē: imò de hac quæstione ex instituto non tractant. in forma neg. conf. vel dist. non est SS. Patribus positivè conformis. om. conf. non est ipsis conformis negativè, sive, nullatenus eis opposita. neg. conf. Ad 1. confirm. neg. min. Tamen adhuc est satis magnum periculum, ne omittantur etiam ea, ad quæ quis certò obligatur, ob varios scilicet timores, respectus humanos, spes, vel cupiditates, difficultates, & negligentias.

Accedit, quoddam sæpè occurrant casus novi, saltem ratione circumstantiarum, in quibus non statim occurrat, quid probabilius, vel æquè probabile, quandoque vix, quid Theologicè probabile sit: neque quisvis post lectam unam, aut etiam alteram casuum Summam statim erit universaliter bonus animarum dux: poterit tamen facilius esse bonus secundum quid, & aptus pluribus in locis agere parochum; aliàs si nemo, nisi in Theologia morali versatissimus, esset aptus animabus etiam ruri pascendis, quis rusticis provideret? Certè soli rigidissimi, qui ubique tuta præscribere vellent, etiam apti non essent spiritali regimini: sanè ad illos accedere rari. Ad 2. confir. neg. conf. Ubique viri sancti cum Jobo c. 9. v. 28. verentur opera sua, ne scilicet occulta passio irrepat, ne aliquis negligentia intercurrat &c. non tamen ideo nunquam suadent æqualiter probabilia aliis, licet forte ipsimet, ob majoris perfectionis amorem, faciant tutiora, non tanquam ex præcepto, sed tanquam ex consilio.

R.P. Ant. Mayr Theol. Tom. I.

328. Dices. SS. Patres semper suadebant quæ magis videbantur conformia legibus, ac SS. Canonibus: ergo & nos debemus ea suadere. Confirm. Post decreta Alexandri VII. & Innocentii XI. non amplius est ita communis sententia benigna: apud Gallos, & Belgas viget rigor: ex aliis etiam multi à benignis ad rigidos transierunt: inter quos Eminentissimus Aguirre, item Elizalde, P. Thyrsus, & alii: quin ullus à rigidis ad benignos transierit: ergo. Resp. neg. ant. quod probari non potest, saltem in hoc sensu, quòd SS. Patres suaserint tutiora, tanquam sub præcepto posita, & non tantum sub consilio, seu tanquam magis perfecta. Imò etiam Patres in Conciliis (idem dicendum de Pontificibus) sæpè nil ausi sunt statuere, quando viderunt sententias hinc inde esse probabiles: nec voluerunt homines ad tutiora adstringere. Certè Concilium Triburienfè habitum anno 895. sub Formoso Pontifice canon. 48. ait, se nec definire, nec refutare aliquid *propter eos, qui diversè de eo sentiunt*: imò minus tutam, nec notabiliter probabiliorē sententiam amplecti permittit, ut quis scilicet utatur conjugio, quod bona fide inuit cum filia suæ spiritualis commatris, de quo dubium inter doctos tunc temporis erat, an valeret. videatur Cabasutius in hoc Concilio, canon. 48. Ad confirm. Etsi transierint aliqui ad majorem rigorem, tamen adhuc pro sententia, minus rigida, præferim ea, quæ tantum in casu æqualis probabilitatis sententiæ minus tutæ, docet licitum esse, hanc sequi, stant valde multi auctores, de quo plura inferius.

ARTICULUS IX.

Solvitur objectio ab autoritate antiquorum.

329. Ob. 4. Omnis antiquitas sensit, debere nos sequi sententiam, aut tutiorem, aut notabiliter probabiliorē: atqui non est præsumendum, quòd DEUS tantis sæculis permiserit tam universalem errorem, in materia morali, & obvia: aut, quòd docti communiter imposuerint tantum onus hominibus, absque sufficienti fundamento: ergo. Confirm. 1. Ipsi auctores benigni in aliis materiis sæpissimè probant aliquam obligationem, ex constanti traditione Ecclesiæ, quam colligunt ex communi usu fidelium, aut sensu Doctorum, per tempus immemorabile: ergo eadem probatio debet sufficere in hac materia. Confirm. 2. Doctores antiqui non sunt usi alia methodo regendi conscientias, nisi illa, quam didicerunt à majoribus, & quam viderunt, ab immemoriali tempore, à piis per consuetudinem adhiberi: ergo, cum semper adhibuerint eam, quam vocamus rigidam, signum est, illam methodum fuisse semper usitatam in Ecclesia DEI, & ab Apostolis derivatam in SS. Patres, ab his verò in posteros.

330. Resp. Similia à Mercoto, ac aliis, sæpè dicuntur, sed non probantur: nec libri, aut loci, ubi doctrina hæc contineatur, allegantur. In forma neg. interim majorem: de minore quid sentiam, paulò post dicam. Utrique ne-

R

gar